

X a  
4325



Q. 15, 1

F

Q

F





# DIVINITATEM

IN

REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO  
PRINCIPE ET DOMINO,

DNO.



# AUGUSTO,

## GERMANIÆ PRIMATE

## ET SAXONIÆ, JULIÆ,

## CLIVIÆ ET MONTIUM

## DUCE, &c. &c.

## ILLUSTRIS GYMNASII AUGUSTI

## CONDITORE MAGNIFICEN- TISSIMO,

*ANNO MDC LXXIX.*

*IPSIS IDIBUS AUGUSTI*

## NATALEM SUUM

## SEXTUM ET SEXAGESIMUM

## CELEBRANTE,

*HUMILIME*

*VENERATUR*

## JOACHIMUS LEISTENIUS,

## AUGUSTEI RECTOR ET P.P.



## LEUCOPETRÆ,

## LITERIS JOHANNIS BRÜHLII, AUGUSTEI

## TYPOGR.





411



I legendo veterum monumenta percurrimus, non pauca exempla summorum Principum nobis occurrunt, qui, mortali fastigio non contenti, immortalis DEI nomen & numen vindicare sibi neutiquam veriti sint. Nam ut Tyriorū Regem silentio transmittam, quem propter ambitam Divinitatem Jehova per Prophetam Ezechielem castigavit gravissime, tandemque per malleum suum, Nebucadnezarem, contrivit, Q. Curtius auctor est, Persarum Monarchas, ad augendam imperii majestatem, divinos usurpasse honores, Deorumque consanguineos se vocasse, neq; ulli, nisi corpus humi prosternenti, adeundi se & salutandi copiam indulgisse. Idem refert, Magnum illum orbis Domitorem, & primum Græcorum Monarcham cupidissime elaborasse, ut Deorum ordinibus ante infereretur, quam agere inter homines desineret: eaq; de causa iter difficilimum cum magno comitatu ingressum esse, & per steriles præaltasque arenas ad Jovis Hammonis (quem generis sui auctorem esse aut crediderit, aut credi voluerit) Oraculum contendisse; filiumq; Jovis à Vate, in adulationem composito, appellatum eo insolentia processisse, ut a Macedonibus æq;, ac Persis, procumbentibus adorari, incensique thuris honore coli nimium quantum cupiverit.. Cognitum præterea ex historia Romana habemus, non Romulum tantum, ad conciliandam sibi auctoritatem humana augustiorem, Marte se genitum jactasse, sed & C. Caligulam, Fl. Domitianum & Diocletianum, Romanorum Imperatores, divinam majestatem sibi asseruisse, & partim templa & sacerdotes numini suo instituisse, partim Dominos Deosq; se nominasse. Quin hodie etiam reperias, qui, mortalitatis suæ obliti, cœlestes honores usq; adeo non averfentur, ut ultro etiam admittant. Persas enim in hunc usque diem Regem suum, ut DEUM, qui cœlum & terram fulciat sustineatque, venerari, &

& aquam,, qua pedes abluit, veluti rem sacram, omniumq;  
morborum salutare medicamentum asservare, annotavit  
Freinshemius ad lib. 8. Curtii : & simile quid de Rege Sia-  
mæ, qui in India extra Gangem longe lateq; dominatur, ob-  
servavit Fernando Mendez Pinto in Itinerario suo. Atque  
hi illi Gigantes sunt, quos cœlum expugnare & deturbare  
Deos ingressos esse, erudita finxit antiquitas. Qui enim  
supera convexa petere, & cum homines sunt, in Deorum  
contubernium penetrare conantur, non aliud agunt, quam  
ut DEUM optimum maximum throno suo dejicere, aut  
saltem infinitam ejus majestatem consortio suo circumscri-  
bere meditentur. Digni proinde, qui ad orcum deporten-  
tur, & contubernio illorum spirituum, qui ob factum &  
*ἐπιθυμίαν πρὸς τὸ ὁμοιωθῆναι τῷ θεῷ* de cœlo in profundissimum tene-  
brarum carcerem dejecti sunt, æternum mancipentur.  
Si enim perduellionis rei sunt, atq; ideo morte mulcandi,  
qui Principum suorum jura nefarie invadunt, eosque pote-  
state æquare aut superare attentant; quanto magis crimi-  
ne læsæ majestatis divinæ polluti erunt, qui, metum cul-  
tumque supremi Numinis exuentes, de paritate cum eo  
contendere non erubescunt.

Scio equidem, familiare esse Spiritui sancto, DEOS vo-  
care, qui nutu ejus Rerumpublicarum gubernaculis ad-  
moti sunt : At Dii hi dicuntur, non quod mortalium sorte  
exempti cœloque dicati sint; sed quia summi rerum Mode-  
ratoris vicem his in terris gerunt, & virtutes illius prudenti  
regimine suo exprimunt. Nimirum, sicuti DEUS Triunus,  
in throno majestatis suæ sedens, orbem terrarum in justitia,  
& populos in æquitate judicat, & quæ genus humanum fe-  
lix beatumque facere possunt, confert abunde : Ita qui fru-  
gi sunt Principes, subditorum suorum salutem imprimis  
commendatam sibi habent, justitiam ita administrant, ut  
pauperes æque, ac divites, ab injuriis defendantur, præ-  
mia bene merentibus, & pœnas illis decernunt, qui, ruptis  
Legum repagulis, vitæ, famæ aut fortunis proximi vel infi-  
dias moliuntur, aut vim inferre apertam aggrediuntur, &  
ne unquam desint, qui pietate & prudentia publicum bo-  
num promoveant, exertis qs. uberibus Ecclesiæ Doctores  
& Scholarum Magistros nutrire haut gravantur, gnari, sine  
A 2 DEI

DEI & Musarum cultu nullam civitatem stare diu aut flo-  
rere posse. Dii itaque & filii Excelsi sunt, non natura, sed  
cura; quia divino munere funguntur & ab illo, qui in ex-  
celsis habitat, adoptati & ad eum dignitatis gradum evecti  
sunt, ut ab immortalitatis fastigio proxime abesse videan-  
tur. Quam divinitatem si Persarum aliarumque gentium  
Reges ambiissent, non solum nihil commisissent, quod illis  
exprobrares, sed voti etiam sui de æternitate gloriæ adipi-  
scenda procul omni dubio compotes evasissent. Qui enim  
ita præsumunt, ut ad immortalis DEI sanctitatem & justitiam  
quam proxime accedere pensi habeant, illi non moriuntur,  
cum rebus excedunt humanis, sed exuunt, quicquid morta-  
le & caducum habent, & post varios dubiosque casus, quibus  
per vitam jactati sunt, cælo & æterna meritorum suorum  
memoria donantur. Et hi quidem præ cæteris merentur  
augustissimo DEI nomine honestari; quoniam per illos,  
tanquam Legatos suos, DEUS populos moderatur, lites  
mortalium componit, bonos tuetur, malos coercet, pa-  
cem firmat, bella profigat, & innumeris beneficiis nos au-  
get. Tales Dii in V. T. Moses, Josua, David, Josaphat,  
Hiskias & Josias fuerunt, qui Israëlitas, quamvis contuma-  
cem & durissimæ cervicis populum, ea prudentia & vigilan-  
tia tractarunt, ut administrationis suæ præclaro testimonio  
ab ipso Spiritu sancto sint ornati. Tales Dii in N. T. Impe-  
ratores gloriosissimi, Constantinus, Theodosius & Carolus,  
a rerum gestarum gloria Magni cognominati, fuerunt;  
quippe qui, stante Annalium fide, pro aris & focis, pro lege  
& grege diligentissime excubuerunt, summa ope enisi, Eccle-  
siam & Politiam in eo statu locare, qui legi divinæ & dicta-  
mini rectæ rationis maxime congrueret, Tales etiam Dii  
patrum nostrorum memoria fuerunt Cæsares, Ferdinan-  
dus I. & filius ejus Maximilianus II. quorum pietas, justitia,  
prudentia, clementia & aliæ divinæ virtutes uti plerisque  
Monarchis admirationem ademerunt, ita immorta-  
lem gloriam ipsis pepererunt. Hi namque non in palatiis  
suis, ut Assyriorum Reges, neque in nemorum umbris &  
ferarum stabulis, ut Mithridates, neque in Gynæceis, ut  
Sardanapalus, delituerunt; sed vel in templis cultui divino  
vacarunt, vel pro tribunali sedentes querelas & desideria,  
quæ

quæ quisque subditorum prompsit, elementissime & patientissime audiverunt, & humanissime responsa dederunt. Quin Ferdinandus Cubicularii sui, homini sequioris sexus & tenuioris fortunæ aditum ad se intercludentis, inhumanitatem his verbis castigasse scribitur: *Si inopes a conspectu nostro excludimus, quid nobis ad tribunal DEI eveniet?* Tales quoque Dii filiiq; Excelsi Serenissimi Saxoniae Electores, Fridericus, Johannes, Johannes Fridericus, Mauritius, Augustus & horum laudatissimi Successores fuerunt: quippe qui in custodienda utraque Decalogi tabula omnem industriam suam & mentem fixerunt, vitæque & omnium fortunarum discrimen adire, quã vel unguem latum ab illa discedere maluerunt. Talis deniq; DEUS, & æterni Patris pius Filius est Reverendissimus & Serenissimus Princeps **AUGUSTUS** Germaniæ Primas, & Saxoniae, Juliæ, Cliviæ & Montium Dux inclutissimus, Princeps ac Dominus noster clementissimus: Cujus divinas laudes si styli honore persequi vellem, alia post Homerum Ilias scribenda mihi foret. Hic enim, uti ad Majorum suorum gloriam exæquandam summa industria per omnes ætatis gradus contendit; ita incomparabili religionis Zelo maximisque in Rempublicam meritis id consecutus est, ut, cum alii Heroës & illustres animæ post fata demum cælo recipiantur, Serenitatem suam nõ de longe expectet, sed inaudita quadã felicitate jam nunc comitetur nominis immortalitas. Amplius XL. anni sunt, cum imperio terræ, quæ Primatus Germaniæ & Archiepiscopatus caractere signata est, Fata eum admoverunt: & ab eo tempore numeros optimi Principis ita implevit, ut ad Chorum & Forum recte ordinandum nihil reliqui fecerit. Ita pietas & justitia **AUGUSTUM** nostrum emancipatum sibi habent, ut, si a virtutibus, quibus summates viri excellent, nomina imponere licet, id quod priscis & recentioribus seculis frequenter usu venit, hic potiore jure, quam Antoninus & Aristides, **PIUS & JUSTUS** dicendus sit. Perinde is ad subditorum suorum salutem perpetuandam, quam gubernator ad navem & hominum, qui ea vehuntur, incolumitatem attentus est. De Cæsare Augusto scribit

bit Suetonius , ipsum inter votorum summa constituisse,  
liceret sibi Rempublicam ita salvam ac sospitem in sede sua  
sistere, ut & optimi status auctor diceretur, & moriens spem  
secum ferret, mansura in vestigio suo fundamenta imperii,  
quæ jecisset: indeque omni modo enisum esse, ne quem ad-  
ministrationis suæ pœniteret. Serenissimus noster uti no-  
men, ita ingenium quoque Cæsaris Augusti induit, nihilque  
antiquius habet, quam sedulo curare, ut horum principa-  
tuum felicitas indies augeatur, auctaque ad posteros trans-  
mittatur. Ut nostram promoveat salutem, suam ipsius ne-  
gligit. Ut nostram tueatur quietem, ipse raro quiescit,  
nunquam somno antelucano indulget, sed summo mane,  
brumali etiam tempore, electo surgens propitium, quod  
omnia regit & tegit, Numen supplicibus precibus venera-  
tur, ut consiliis suis in regimine Seculari & Ecclesiastico ejus-  
modi eventus, qui & suo & privatorum voto respondeant,  
aspirare gratiosissime dignetur. Eoque factum est, ut tam-  
etsi post Pacificationem Westphalicam publica tran-  
quillitas in plerisque Germaniæ provinciis publica tran-  
quillitas non semel turbata aut sublata penitus sit, in his  
tamen principatibus pax alma inviolata perstiterit, & dul-  
cedinem fructuum suorum gustandam nobis præbuerit.  
Videas alibi excisas urbes, vastatos agros, profanatas dedi-  
catis Numini ædes, dejectos fortunis suis innumeros cives  
nobiles pariter atque ignobiles, & sexcenta alia vestigia ex-  
ercitæ ab impotente milite crudelitatis: cum interim hic  
(quod divinæ gratiæ & Principis nostri vigilantia accepto  
ferendum) urbes superbis ædificiis auctæ, agri diligenter  
culti, templa magnifice reparata & splendide ornata, &  
commoda subditorum amplificata visantur. O raram pie-  
tatem, quæ tantam nobis peperit felicitatem! Hoc est DEUM  
esse, hoc Filium Excelsi: & DEUM regimine præferre, Fi-  
lium DEI religione. Gloriabatur olim Imperator Augu-  
stus, Romam marmoream se relinquere, quam lateritiam  
accepisset. Nec gloria erit vana: siquidem urbem minus  
ornatam ita excoluit, ut splendore suo majestatem imperii  
æquaret. Serenissimus noster pari modo vere gloriari pot-  
est, se provincias, successionis & electionis jure ad se devo-  
lutas, cultissimas relinquere, quas desolatas & non viribus  
modo



modo, sed viris etiã exhaustas accepit. Quot enim agri nunc frugum copia & varietate rident, quibus ante hos triginta annos tristem vastitatem furor Martis intulerat? Quot vicos & pagos domibus atque hominibus frequentes hodie cernimus, qui ob tricennale bellum plane deserti, aut in cineres redacti quondam fuerunt? Quot urbes & oppida ædificiorum splendore civiumque cultu jam nitent, quæ olim ruinis deformes, & incolis viduatæ fuerunt? Vel sola Leucopetra nostra fidem faciet dictis: Hæc quippe paucorum annorum spatio sub principatu AUGUSTI ea incrementa cepit, ut, cum antehac paucissima tecta numerarit, quæ cœli injuriis non paterent, nunc ædium senectutem maximam partem amolita, & duobus augustis palatiis, altero Ducum, altero Musarum, instructa; habeat, quo a contemptu se vindicet.

Quoniam igitur divinæ virtutes, quibus Augustissimus Princeps noster inclytus est, magnam accessionem ad commoda nostra attulerunt, fas est, ut, quemadmodum ille salutis nostræ diligentissimus est, ita nos quoq; incolumitatem ejus piis precibus DEO Sospitatori indefinenter commendemus, & propitium Numen obtestemur, VELIT AUGUSTUM NOSTRUM SUPERSTITEM NOBIS RELINQUERE, ET RECURSU ILLIUS DIEI, QUO OLIM IN LUCEM EDITUS EST, SÆPISSIME ADHUC HAS TERRAS SERENARE. Si enim pro omni eminente potestate, etiam pro Neronibus & truculenta Babylone supplices manus in cœlum tendendæ sunt, quanto magis hoc pietatis officium Principi religiosissimo persolvendum, qui totum se ad DEUM sancte colendum, & subditos omni ex parte illæsos conservandos constantissime transtulit. Ego, quod munus mei est,

FK Na 4325

est, alacriter exequar, & divina favente gratia, ipfis Idibus Augusti, veluti Die Natali ejus, cum post sacra matutina Germaniæ, patriæ meæ charissimæ, de recuperata Pace gratulatus fuero, DEUM Deorum & Conditorem hujus universi invocabo devote, ut Principem nostrum cum tota inclytissima Domo Saxonica salvum ac sospitem constanter servare, & ab omni malo potententer tueri dignetur. Quicumque igitur hanc vivam DEI imaginem, hanc candidissimam caritatem mecum venerantur, & maxima illius merita gratis animis osculantur, illos, ut in tempore adesse, & favoris sui aura infantiam meam afflare, votisque meis sua addere velint, ad augendum precum pondus, submisise & amanter rogo. P. P. propriæ Idus Augusti, Anno ab orbe redempto MDC LXXIX.



AL

VORX

l,  
n  
t-  
fi  
o-  
i-  
l-  
c  
i-  
a  
e  
e,  
e-  
o.  
o  
II  
II  
II  
V  
P  
R  
O  
B  
T  
o  
&  
II  
o  
C  
B  
R

*Pou Ka 9305 FC*

ULB Halle 3  
003 266 834  






2.15/13

cat. I, 701

Xa  
4325

# DIVINITATEM

IN

REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO  
PRINCIPE ET DOMINO,

**AUG**

GERMAN  
ET SAXO

CLIVIAE  
DUC

ILLUSTRIS G  
CONDITOR

NATAI

SEXTUM ET

JOACHIMU  
AUGUSTEI

O,  
ATE

LIÆ,

IGUSTI  
CEN.

M  
IMUM

NIUS,  
P.P.



LEUCOPE TRÆ,  
LITERIS JOHANNIS BRÜHLII, AUGUSTEI  
TYPOGR.

